



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-164529-p0001-8

DFG

1785, 2
1598

12

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS
DE
HYPOTHECIS TACITIS
IVDICIALIBVS SEV REGISTRATIS
HAVD POSTPONENDIS

QVAM
AVCTORITATE
ILLVSTRIS ORDINIS
IVRECONSVLTORVM HELMSTADIENSIVM

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE
CAPESENDIS HONORIBVS

AD DIEM X AVGVSTI CIC^ICCLXXXV

IN IVLEO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS

PVBLICE DEFENDET

ERNESTVS LUDOVICVS SOELDNER

OSTERODA-GRVBENHAGENSIS

CAVSSARVM PATRONVS HANNOVERANVS.

HELMSTADII
LITERIS VIDVAE B. PAVL, DIET. SCHNORRII ACAD. TYPEGE.

ILLVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO ATQVE
GENEROSSISSIMO
DOMINO DOMINO
ERNESTO AVGVSTO WILHELMO
VON DEM BVSSCHE
AVGVSTISSIMO AC POTENTISSIMO
MAGNAE BRITANNIAE REGI PRINCIP^E
ELECTORI BRVNSVICO - LVNEBVRGICO
A CONSILIIS INTIMIS
ET PROTOPRAEFECTO
CELLENSI
MAGNO ET SVMME VENERANDO
FAVTORI ATQVE PATRONO
S V O
MERITIS NON MINVS QVAM DIGNITATE
AC HVMANITATE CONSPICVO
GRATI ANIMI SVI TESTANDI
CAVSSA

EA QVA PAR EST
ATQVE DECET REVERENTIA
HANCCE
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
D. D.
TANTOQVE NOMINI SACRAM
ESSE CVPIT
ILLVSTRISSIMI HVIVS NOMINIS

CVLTOR DEVOTISSIMVS
ERNESTVS LUDOVICVS SOELDNER.

VIR ILLVSTRISSIME,
EXCELLENTISSIONE,
DOMINE GRATIOSISSIME.

Mos saeculi quum ita sit, vt FAVTORI-
BVS et VIRIS bene de nobis me-
ritis scripta nostra dicare soleamus, ego quo-
que hancce dissertationem, vt dicunt, inaugura-
lem, ILLVSTRI TVO NOMINI in grati at-
que deuoti erga TE animi mei tesseram, sacram
esse volui.

* 3

Tan-

Tanta enim TVA de me existant merita, vt
iam dudum meditatus sim atque deliberauerim,
qua digna ratione, grati et deuoti erga TE animi
mei publicum aliquod perhibere possem testimoniū.

Iam itaque mihi verendum non erit, ne ILLV-
STRI TWO NOMINE abuti TIBI videar, quod te-
nui huic scripto illud praeponere audeam.

TV quidem, VIR ILLVSTRISSIME!
IPSE forsan ignoras, aut, vt TVA TE agere
iubet verecundia, scire noles, quantum de me pro-
meritus sis. At me non fugit, quae quantaque
TIBI debeam, quantaque TVA de me existent
merita.

Quorum licet semper memor sim, licetque ea
nulla vñquam in animo meo deletura sit obliuio, ta-

men

men, nisi luculentam deuotae mentis traderem tef-
feram, nondum satis meo me fecisse officio mihi
viderer.

Mihi igitur est propositum, non solum im-
mortales sollemnesque TIBI publice agere grati-
as, sed etiam grati erga TE animi mei publicum
aliquid statuere monumentum.

Iam itaque, TIBI, VIR ILLVSTRISSIME, te-
nue hoc munusculum, si ita appellare licet, ea, qua
par est, atque decet, obseruantia offero, non ita
quidem comparatum, adornatumque, ut eruditos
TVOS oculos subire sustineat, attamen ex sincero,
quo TE prosequor, affectu animoque gratissimo
profectum, quod vt placida atque serena fronte
accipere, meque TIBI porro habere velis com-
mendatissimum, est, quod deuotissime a TE peto
taque

atque contendō. Deus T. O. M. TE iustitiae, dexteritatis, ac non fucatae virtutis amicu[m], TVIS; PATRIAE ac mihi semper saluum et incolu[m] mem feruet.

Scribebam Hannouerae, mense Augusto,

Anni CCCCCLXXXV.



DISSE-

DISSERTATIO INAGVRALIS
DE
HYPOTHECIS TACITIS
IUDICIALIBVS SEV REGISTRATIS
HAVD POSTPONENDIS.

BENEVOLO LECTORI
S. P. D.
ERNESTVS LVDOVICVS
SOELDNER.

*Quotiescumque de praferentia creditorum incidit
quaestio, qua, teste BENED. CARPOVIO, nulla fe-
re et vere difficultor in foro ventilatur materia: toties
michi persuadere non potui, hypothecas legales seu ta-
citas, si cum publicis ratione formae talibus, vel
tempore paribus, vel etiam posterioribus concurrunt,
bis recte postponi. Hoc itaque hac de materia hic a-
gendi ansam mihi praebuit.*

*Me quidem non fugit, maxima in foro auëtori-
tatis viris, iisque doctissimis, illam sententiam sedere,*

A

eam.

eamque adeo docte ac strenue ab illis defendi, ut mihi
verendum sit, ne temeritatis me arguas, quod contra
illos dicere, eosque refutare audeam, attamen fore,
nullus dubito, ut sententiam, quae bac de re mihi se-
det, talibus saltem rationibus atque argumentis defen-
dere possum, quae, si dissidentes iis conuincere mihi
non contingat, tamen refutatu erunt difficillima.

Maximi illa momenti quaestio: an hypotheca faci-
ta iudiciali, seu, ut vocant, registratae, an haec illi sit
praeferenda, et quid in concursu earum statuendum
sit, expressa legum dispositione deficiente, unice ex a-
nalogia iuris et praesertim ex analogia et ratione
L. II. C. Qui P. in P. diuidicanda, et, ut haec luce
meridiana clarior, haud quidem difficilis, at, ut in ta-
li casu affolet, diuersis Doctorum opinionibus atque
erroribus magis magisque difficilior ac intricatior, redi-
tita est.

Etsi autem mihi non contingat, ut argumentis,
quae proponam, quemlibet in sententiam meam addu-
eam, difficile enim est, ut quis a prae dilectis suis op-
inionibus, saepe licet falsissimae sint, recedat, Tu ta-
men, B.L., argumentis meis rite ponderatis iudica, in
quam partem **TIBI** eundum, cuiusque sententiae cal-
culum tuum adiiciendum putes. Vale
ac mihi faue.



§. I.

§. I.

RATIO PRAEMISSORVM.

Asine huius tractationis haud alienum fore puto, si, priusquam ad ipsam thematis discussionem accedam, non solum materiae connexionis, verum etiam maioris, ut credo, eiusdem illustrationis causa, diuersarum pignoris et hypothecae notionum, nec non quarundam utriusque differentiarum breuiter hic mentionem faciam.

§. II.

DIVERSAE PIGNORIS SIGNIFICATIONES.

Pignoris et hypothecae diuersas in iure nostro esse significationes, quis est, qui nesciat? Pignus videlicet sumitur, 1) in sensu obiectivo, pro ipsa re in securitatem crediti oppignorata a), et tunc vel omnes omnino res quouis modo obligatas, tam traditas, quam non traditas, adeoque ipsam hypothecam, sub se comprehendit b), vel tantum res actu traditas. Illo casu in sensu obiectivo lato et in proprio c), hoc stricto et proprio sumitur, ac hypothecae opponitur d), §. III, et tunc iterum vel res tantum mobiles pignori traditae sunt, vel non. Priori casu accipitur in sensu obiectivo strictissimo e). 2) in sensu subiectivo, pro iure pignoris f), quo ius in re, alteri

A 2

teri

a) L. 1. §. 6. D. de O. et A., §. vlt. I. Quibus mod. re contrah. oblig.

b) L. i pr. D. de pignor. act.

c) §. 7. I. de action, L. 5. §. 1. D. de pignor. et hypoth. L. 17. §. 2. D. de pac*t*.

d) Cit. §. 7. 1. de action, L. 9. §. 2. D. de pignor. action.

e) Cit. §. 7. I. de action, l. 238. § 2 D. de V. S.

f) L. fin. C. Si aliena res pignori, L. 26. D. de pignor. act, L. 8. pr. D. Quibus mod. pign. so*lo*.

IV

teri in securitatem crediti constitutum g), denotat; et 3) pro contractu pignoris h), ubi contractus realis, quo res creditoris in securitatem crediti obligatur, audit.

§. III.

HYPOTHECAE DIVERSAE SIGNIFICATIONES.

Hypothecae, graecae originis vox, et ἡποθέτησις, a supponendo, sic dicta, aequa ac pignus sumitur, 1) in sensu obiectu pro ipsa re in securitatem crediti obligata, et tunc vel omnes omnino res, quo quis modo obligationi suppositas, tam traditas, quam non traditas comprehendit, vel tantum res non traditas. Priori casu in sensu obiectu lato, posteriori vero in sensu proprio et stricto i), sumitur; 2) in sensu subiectu, pro iure hypothecae, quo est ius in re, creditori in securitatem crediti constitutum k); et 3) pro contractu, seu conventione, qua creditori in securitatem crediti, ius in re constituitur.

§. IV.

PIGNVS ET HYPOTHECA IN SENSV OBIECTIVO LATO VNVM IDEMQUE DENOTANT.

Pignus itaque est hypotheca in sensu obiectu lato (§. II. et III.) unum idemque denotant, et inter utrumque sonus tantum nominis differt l). Praesertim quod ad actionem hypothecariam attinet, nihil inter utrumque inter- est

g) L. 30. D. de noxal. act. § vlt. I. Quib. mod. re contrah. obl.
L. 12. C. de distr. pign. L. 19. D. de damno infect.

h) L. 1. D. de rebus credit., L. 1. in f. de pactis, L. 5. §. 2. D. Com-
modat., L. 23. D. de R. I

i) §. 7 in f. I. de action., L. 9. §. 2. D. de pign. act.

k) L. 8 pr. D. Quibus modis pignus vel hypoth.

l) L. 5. §. 1. D. de pignor. et hypoth.

est m), quippe quae tam de pignore stricte et proprio di-
cto, quam de hypotheca datur n). Hinc hypotheca lega-
jis et pignus legale promiscue a quibusdam usurpatur.

§. V.

PIGNUS ET HYPOTHECA DIFFERUNT.

Quamvis autem pignus et hypotheca ita promiscue
et vt synonyma accipiuntur, quippe pignus modo hypothe-
ca o), et hypotheca modo pignus p), in iure nostro vo-
catur, magnum tamen inter utrumque deprehendimus
discrimen. Differunt enim non solum ratione obiecti, sed
etiam ratione constitutionis.

§. VI.

QUARVM DAM DIFFERENTIARVM RECENSIO.

Pignus videlicet in sensu obiectu strictissimo accep-
tum, non nisi in re mobili q), et non sola conuentione,
sed accidente rei oppignoratae traditione r), constituitur.

A 3

Hinc

m) §. 7 I. de action. Confess ARN. VINNII Comm. ad Inst., tit.
de act. §. 7.

n) Verba, quae eapropter attulit IVL. ABEYMA, Comment. ad
tit. i. D. de pignor. et hypoth. p. 2, digna sunt, vt adiciamus.
Ita sonant: *Quod actionem hypothecariam non differunt, (pi-
gnus scil. et hypotheca,) quia, vt hypothecaria competit ad con-
sequendam possessionem rei, quae nunquam tradita fuit; ita
datur ad repetendam possessionem rei oppignoratae, si creditor
possessionem amiserit.* Jungas VLR. HVBERI Praelect. Iur. Ciu.,
lib 20. tit. i. §. 1.

o) L. 5. §. vlt. D de pignor. et hypoth.

p) L. 17. §. 2. D. de pacis.

q) L. 238. §. 2. D. de V.S. §. 7 I de action. §. 4. I. Quibus modis
re contrah. obl.

r) Cit. §. 7. de act. et §. 4. I. Quibus mod. re contrah. obl. L. 9.
§. 2. D. de pignor. act.

VI

Hinc pignus, a pugno sic dictum, quia res, quae pignori dantur, manu traduntur s), Germanis dicitur ein Faust- oder handhabend Pfand. Hypotheca contra non solum in rebus mobilibus, sed etiam in immobilibus constitui potest, solo pacto t), quod Germanis vocari solet die Verschreibung, contrahitur, reique possessionem debitori relinquit u), quod praesertim ratione remedium possessoriorum pignus inter et hypothecam discrimen constituit v). In eo insuper differunt, quod lex sola hypothecam, quae dicitur tacita, non autem pignus constitutu w). Conuentio porro, qua pignus contrahitur, a Doctoribus accurate saltem loquentibus, contractus pignoris, seu pignoratius, qua vero hypotheca, pactum hypothecae vocatur. Ipsò denique nomine pignus ac hypothecam differre, ex eo iam satis appetet, quod in ipsa inscriptione tam titulit quam C. de pignoribus et hypothecis, sibi inuicem opponantur x).

§. VII.

s) *Cit. L. 238. §. 2. D. de V. S.* Alii autem derivant ab antiquato verba pago, i. e., iungo, figo. Vide IOACH. POTTERIESERI *Comm. de indele et natura pignoris*, Sect. I. cap. I. §. 9.

t) §. 7. in f. 1. de action.

u) L. 9. §. 2. D. de pignor. act.

v) L. 3. §. 8. D. *Vt posseditis*, L. 9. de R. V., L. 3. in f., L. 10. §. 1. D. de acquir. vel amitt. poss. Addas DAV. MEVIVM, P. 5. D. 93. REINHARTHI Diff. de nonnullis pragmaticorum erroribus circa doctrinam de hypotheca tacita, §. 1.

w) Hoc iam monuit IVST. HENN. BOEHMERVS, Diff. de diverso pignoris et hypothecae iure, cap. II.

x) Praecipuas utriusque differentias IVL. A REYMA, c. I, pag. 1. exhibet. „Differunt, inquit, pignus et hypotheca primum nominibus, deinde objecto, quia pignus versatur proprie circa res mobiles, hypothecae vero dari possunt res mobiles et immobiles, tertio forma, quia pignus proprie constitutur, non sola conuentione, sed traditione; hypotheca vero sola conuentione, ita ut posse esset eius ad creditorem non transeat.“

§. VII.

BRAETER RELATAS, PLURES ADVOC PIGNORIS ET
HYPOTHECAE SVNT DIVERSITATES.

Plures y) quidem, quam quas recensui, supersunt
pignoris ac hypothecae diversitates. At omnes ut hic
perhibeam, nec locus, nec tempus, nec instituti mei raz-
tio permittit.

§. VIII.

DEFINITIO HYPOTHECAE TACITAE
SIVE LEGALIS.

Quibus de pignoris et hypothecae diversis significati-
onibus et differentiis inter vtrumque praemissis, de ipsa
nunc thematis mei tractatione mihi erit differendum. Hy-
potheca z) tacita seu legalis, ea vocatur, quae citra de-
bitoris voluntatem immediate ex lege, competit, siue
quam ipsa lex constituit aa). Quemadmodum enim in
conventionali ipsa conuentio, ita in legali sola lex hypo-
thecam constituit. Tacita ideo vocatur, quod nullo
praecedente verbo, nulloque concurrente facto hominis,
quod alias ad tale negotium constituendum requiritur;
et ita tacite, ab ipsa lege inducitur bb). Legalis autem,

viii

y) Conf. IVST. HENN. BOEHMERI Diff. cit. cap. II.

z) Hypothecam in sensu subiectivo pro iure hypothecae hic ac-
cipi, notatu vix opus est, Conf. §. III. n. z.

aa) L. i. C. Comm. de legat., L. 6. § fin. C. de bonis, quae lib. L.
vn. C. de R. V. A

bb) Cit. L. i. C. Comm. de Legat. Lex tamen quae hypothecam
constituit, tam viuieralis, quam particularis, tam scripta,
quam non scripta esse potest. Expediti enim iuris est, statu-
torum et iurium provincialium eamdem esse efficaciam,
quam iuris communis, et consuetudinem eamdem habere
viri atque auctoritatem, quam lex scripta. L. 32. sqq. D. de
legi-

VIII

ut arbitratu haud difficile est, ratione causae efficientis, legis videlicet eam constituentis, appellatur. Hinc hypotheca tacita et legalis synonyma sunt.

§. IX.

AB HAC HYPOTHECA TACITA DIFFERT TACITA VOLUNTARIA.

Cum hac hypotheca tacita minime autem est confundenda illa, quae tacita debitoris voluntate constituitur, et aequo ac haec, tacita vocatur cc), ut plures conventiones tacitae in iure nostro occurruant dd). Possimus enim factis concludentibus aequo voluntatem nostram declarare, ac ipsis verbis expressis. Et ipse Imperator talibus hypothecis fauet, ac validas esse decidit ee). Quanta autem hanc inter hypothecam tacitam, et illam, quae et legalis audit, intersit differentia, ex vtriusque definitione statim in oculos incurrit. Illa enim tantum conventionalis voluntaria et plerumque priuata, haec autem legalis necessaria (§. VIII.), et semper publica est.

§. X.

DIVISIO HYPOTHECAE TACITAE SIVE LEGALIS IN PURAM ET MIXTAM.

Aliquando ad hancce hypothecam tacitam seu legalem adhuc factum aliquod debitoris accedere debet, prius-

legibns. Ratione probationis tamen differt, an quis hypothecam tacitam lege scripta, an vero lege non scripta constitutam alleget.

cc) Exempla talis hypothecae tacitae exhibet NIC. HERTIUS
Diss. de pignore conventionali tacito. Inserta legitur EIVS D.
Comm. et Opus., Vol. II. Tom. III. n. 16. Addas, si placet,
FRANC. MANTICAE Comm. de tacitis et ambig. conventioni,
atque, MEVII Decis., P. 7. D. 49.

dd) L. 2. et 4. pr. D. de passir.

usquam cum effectu competere et creditori securitatem praestare possit, v. c. in hypotheca locatori praedii urbani in rebus a conductore in praedium illatis et inuestis ff), competentem, illatio. Hinc nonnulli Antecessores hypothecam, de qua sermo, in puram, seu legalem in specie, et in mixtam seu tacitam in specie dividunt gg). Illam dicunt, quae nullo accidente debitoris facto ex mera legis dispositione competit; hanc vero, quae praeter legem simul factum debitoris requirit.

§. XI.

DIVISIO HYPOTHECAE TACITAE IN PURAM ET MIXTAM
NEC FUNDAMENTVM NEC UTILITATEM HABET.

At haec diuisio ut mere cerebrina, parum aut nihil in foro utilitatis praestat hh). Factum enim, v.c. illationis in conductore praedii urbani plane non requiritur ad hypothecam demum constituendam, nam haec, certe quod ad actum primum, iam per solam legis dispositionem existit atque adest (§. VIII.); et tantummodo creditor, siue, hoc casu, locator, ab hoc demum facto actualem securitatem ex hypotheca lege sibi iam constituta consequitur, ita ut haec, antea tamquam inanis et effectu huic usque destituta, ab hoc demum facto cum effectu, et in actu secundo ii) competere, et actualem securitatem praestare incipit. Quum enim haec hypotheca tacita ab ipsa lege pure, et facto vlo, haud requisito, inducta atque constituta sit; plane non opus est facto, quo demum

B. con-

ff) L. II. et 32. D. de pignor. et hypoth.

gg) WOLF. AD. LAVTERBACHIVS, Coll., Tb. Praet. lib., 20.
tit. 2. §. 3. HENR. HAHNIVS ad W., Lib. 20 tit. 2. N. t.

hh) Vide IAC. FRID. LUDOVICI Vsum praet. distinct. iuridic.,
lib. 20. tit. 1. dist. 2.

ii) Id est, si hypotheca, iuris inde competentis excereitium trahit.

X

constituatur (§. VIII.). Probe itaque in hypotheca tacita seu legali inter ipsam eius constitutionem et factum, a quo demum, quod ad actualem securitatem competere incipit, distinguendum est. Illa sit a sola lege, absque ullo debitoris facto; hoc vero tantum continet actum, quo res debitoris, hypotheca lege iam constituta, actualiter afficiuntur, et a quo demum haec hypotheca actualiter et cum effectu creditori competere incipit. Hoc itaque debitoris factum nullo modo concernit talis hypothecae constitutionem; sed tantum terminum, a quo demum actualiter in rebus debitoris competere incipit, seu quasi, si ita dicere licet, implementum eius.

§. XII.

HYPOTHECA TACITA IN GENERALEM ET SPECIALEM,
IN PRIVILEGIARIAM ET SIMPLICEM
DIVIDITVR.

Prout autem hypotheca tacita seu legalis, vel omnia debitoris bona kk), vel tantum res singulares ll) afficit, et prout vel priuilegio quodam gaudet mm), vel non nn), in

kk) L. i. C. in quibus cauiss pignus, L. 6. §. 2. C. de secund.
nupt.

ll) L. i. sq., L. 4. pr., L. 6., L. 7. §. 1. D. in quibus cauiss pignus.
Nonnulli etiam hypothecam tam tacitam, quam expreßam ab obiecto diuidere solent, in vniuersalem, generalem et specialem, et mea quidem sententia haud incongrue. L. i et 6. D. et L. 2. C. de pignor.

mm) Ut hypotheca fisci in casu L. i. C. Si propter publ. penſat. et L. 3. C. de primipilo, nec non mulieris in casu L. vii. §. 1. C. Qui potiores in pign. Illud hic notatu haud indignum videatur, hypothecas tacitas priuilegiarias iure demum Codicis a Constantino esse introductas. Errant igitur, et valde errant, qui priuilegia hypothecarum tacitarum iam legibus Pandectarum, ut Codicis prioribus, euincere sibi videntur.

nn) Vt

in generalem, et specialem, in priuilegioriam et simpli-
cem inde diuiditur.

§. XIII.

HYPOTHECAE TACITAE GENERALIS DIVISIO IN SIM- PLICITER, ET SECUNDVM QVID TALEM.

Generalis illa, prout vel omnia debitoris bona cu-
iuscumque generis, vel certi tantum generis bona afficit,
in generalem simpliciter talem, et generalem secundum
quid talem iterum dispescitur. Huius generis v. c. est il-
la, quae legatarii et fideicommissarii pro consequendo
legato, seu fideicommisso in illis bonis competit, que hae-
res a testatore consequutus est oo). Sed haec de divisio-
ne hypothecae tacitae haetenus.

§. XIII.

ERRONEA DOCTORVM OPINIO CIRCA COLLOCA- TIONEM HYPOTHECAE TACITAE.

Inter errores, quibus quasi caligine Doctores mate-
riam de hypothecis tacitis obduxerunt pp), ille in primis
referendus videtur, quod non parui nominis Iurium-
consulti non solum hypothecam publicam ratione for-
mæ talem, tam tempore parem, quam posteriorem, sed
etiam ipsam priuatam, vel tempore priorem, vel etiam
parem

B 2

parem

nn) Ut v. c. hypotheca mulieris ratione bonorum parapher-
naliū L. i. C. de paſt. conuent, et hypotheca legatariorum
et fideicommissariorum L. i. C. Communia de legat. Nou.
97. e. 3.

oo) L. i. C. Communia de legat.

pp) Has quasi in tabella lectori fistebat FERD. CHRIST. HARP-
FRECHTIVS in Diff. duabus de 1) Trutina XX. pignorum ta-
citor. vel indubit spurior. vel summe dubiorum; 2) de scrutinio
XVIII. eiusmodi hypothecarum. Inueniuntur in EIVSD. Dis-
sert., Vol. I. p. 28 et 29.

XII

parem qq) tacitae indistincte praeponendam esse contendunt.

§. XV.

HYPOTHECA TACITA MALE POSTPONITVR

I.) HYPOTHEcae PRIVATAE.

Nihil quidem tam facilis negocio refutare posse mihi viderer, quam praeferim sententiam eorum, qui hypothecam tacitam seu legalem ipsi priuatae hoc modo postponendam existimant. Nulla enim prorsus appetat probabilis, nedum vera et genuina ratio, cur hypotheca priuata potior et maioris efficaciae esse debeat, quam tacita, quum non minus potenter in legali hypotheca operetur lex, quam in expressa conuentio. Quum autem iam ipsos illos, qui ratione hypothecae iudicialis, priuata absque dubio maioris, illud asserunt, haud difficultis negocio refutare posse mihi videar: sane opus non erit, ut simul hos, qui ratione priuatae illud asserunt, si-gillatim erroris conuincam, quippe qui iam per conclusionem a maiori ad minus refutabuntur, et ab aliis rr) iam satis refutati sunt.

§. XVI.

II.) HYPOTHEcae PUBLICAE RATIONE FORMAE

TALI, TAM TEMPORE POSTERIORI,

QVAM PARI.

B 3

Hoc

qq) Inter eos nomen profitebatur Ioh. SICHARDVS Comm. ad Cod ad rubr. tit. in quibus cauß pign. tac. n. 3. sq. Junge ANT. HERINGII Tract. de Fideiufforibus, cap. 26. n. 118. et quos allegat. REINH. BACHOVIVS, Tr. de pignoribus et bypothecis, lib. IV. c. 7. n. 1.

rr) Conf. HERTII cit. Diff. de pignore conuentio. tacito, §. fin., CHRIST. FERD. HARPPRECHTII Diff. de Pignore publ., §. 5., WOLFF. AD. LAVTERBACH. Coll. Th. P., lib. 20. tit. 4. §. 10. n. 2.

Hoc itaque pacto cum illis vnicے res mihi erit, qui praferentiam hypothecae publicae, ratione formae talis ss), prae legali, eaque non solum tempore pari, sed etiam priori defendunt. Nego enim ac pernego, hypothecas iudiciales, seu vt vocant, registratas, legalibus, tempore paribus, esse praeferendas. Legibus saltim praerogativa quaedam inter iudiciales et tacitas non est determinata. At, quod non solum ex analogia iuris, et praesertim ex analogia et ratione *L. n. C.* Qui *P. in P.*, secundum quam tota haec quaestio decidenda erit, verum quod insuper etiam ex ipsa ratione constitutionis hypothecarum tacitarum, luculentissimisque sanae rationis argumentis colligi potest, id tanquam verum statuendum mihi videtur, hypothecas nempe legales, iudicialibus nisi praeferendas, atramen his omnino pares esse habendas. Dum hanc sententiam tueor, vestigiis *AVG. A LEYSER* tt), aliorumque non incelebrium juris Antecessorum insisto.

B 3

§. XVII.

ss) Aio, ratione formae. Nam hypotheca legalis ratione causae efficientis, quippe ab ipso legislatore concessa, verissime magis publica appellari meretur, quam illa, quae coram magistratu constituitur. Iam id animaduertebat *CHRIS T. NIC. A LYNNCKER* in *Resolut. Ienensib.*, *refol. 262*. Dicit: Alldieweil aber die Hypotheca tacita, seu legalis, außer Zweifel nicht priuata, sondern a lege, und mehr publica, als diejenige ist, quae a magistratu confirmata reperitur. Adde *HARPPRECHT II* cit. *Diss.*, *§. 2. n. 7.* Quia autem dissentientes praerogativam illam, quam hypothecas publicas, ob robur publicae auctoratis, inesse statuunt, non cuiilibet publicae ratione formae tali, sed illi tantum tribuunt, quae in iudicio apud asta constituitur, publicoque hypothecarum catalogo infertur; hanc, vt eo meliori ratione discerni possit, ab aliis publicis, iudicialis seu registratae nomine designabo.

tt) *A. A LEYSER* Meditat. ad Pand., sp. 226. m. l. IO. VOELIVS Comm. ad Pand., lib. 20. tit. l. n. II, VLR. HVBERVS, in *prael. iur. ciuil.*

XIV

§. XVII.

AVCTORITAS ET OPINIONES DOCTORVM IN QVAESTIONIBVS IVRIS DVRIIS NON SEQVENDAE.

Multum quidem contraria sententia inde consequitur auctoritatis atque ponderis, quod clarissimus quidam, isque eruditissimus nostri saeculi Iureconsultus, puta, EASIAS A PFENDORF^{uu}), eam adoptauerit, adeo que argute, more consueto, defenderit, vt ipsum summum Pronocationum Tribunal Cellense, cuius ille decus, quamquam non absque dubitationibus, vt Ipse fatetur, desuper commotis, ac non vnanimi consensu, eam receperit, et secundum eam huc usque pronunciet vv); at, quod pace illustris huius Viri dixerim, haud vera mihi videtur. Quum autem in quaestionibus iuris dubiis ad tradita et opiniones Doctorum, vt vt celeberrimorum, minime respiciendum sit, et auctoritas huius vel illius Iureconsulti veritati rei obesse non debet, rationes et argumenta illa, quibus sententiam meam defendere posse mihi videor, proponam, et tunc quilibet iudicet, quid sibi videatur.

§. XVIII.

*eiuit. lib. 20. tit. 4. n. 36. IUST. MENN. BOEHMERVS Exercit.
ad Pand. LX. cap. II. §. 13. et ERN. CHRIST. WESTPHALIVS,
Tr. vom Pfandrecht, §. 166. sq.*

uu) E. A PFENDORF O. I. V., tom. 1. Obseru. 211. et Animadu. 97.

*vv) Sententiam ab ill. de PFENDORF defensam tueruntur plures. Inter eos nomen suum profertur MERC. MERLINVS,
Comm. de Pign. et Hypoth., lib. IV. t. 1. q. 2. n. 8. et q. 7.
HENR. A BERGER Elef. disc. for tit. 48. obs. 2., FERD.
CHRIST. HARPPRECHTIVS, Resp. 92. WOLFFG. AD.
SCHOEFFFIUS Consil. Tubing. Vol. IX conf. 28 n. 45, CHR.
GOTTL. GMELIN Ordn. der Glaubiger, Cap. IV. §. 1,*

§. XVIII.

ARGUMENTVM I. A RATIONE ET ANALOGIA E. XI. C.

QVI P. IN P.

Cuiuscumque legis dispositionem ex ratione et mente, ut anima eius, interpretandam esse, neminem fore, specie, qui dubitet. Quam vero ut rite intelligamus perspiciamusque, ante omnia historiam et occasionem legis nosse oportet. Vera autem ratio, ob quam LEO Imperator, in L. XI. C. Qui P. in P., hypothecis publicis, seu, quae instrumentis publice confessis nituntur, praerogatiuam prae priuatis tribuit, sola fuit exitatio fraudis ex instrumentis priuatis metuendae ww). Quum enim antea cuiuscumque generis hypothecae, tam publicae, quam priuatae, tam necessariae, quam voluntariae, absque, vlo discrimine ex sola temporis prioritate aestimarentur, et ira saepe accideret, ut ipsae hypothecae publicae, publica auctoritate ac fide licet munitae, priuatis tamen, ut prius clam et secrete a debitoribus constitutis, omni saepe effectu destituta, prorsus inanies redderentur, iustissime aequissimeque LEO Imperator, inde motus, hypothecis publicis praerogatiuam prae priuatis, tempore licet prioribus, in dicta lege tribuit. Quum itaque LEO Imperator hypothecas publicas, omni prorsus fraudis suspicione carentes, nulla habita ratione, an iudiciales, an vero legales sint xx), generaliter et haud

vlla

ww) Quia nempe debitor priuatum instrumentum facile eudere possit in fraudem creditoris et diem praeferre. Vide IAC. BRUNNEMANNVM ad L. II. C. Qui P. in P. ibique citat. Auctores. Romani insuper, prout iam annotauit ill. F. V. FENDORFFIUS, I.c., Obs. 65., ex FRANC. BALDVINI lib. I. de Iure novo, priuatis litteris, syngraphis, chirographis parum fidei tribuebant, ut earum literarum vix vlla vis fuerit.

xx) Hypothecae enim legales non minus, sed potius verius-
que

XVI

vlla excepta, hacce praerogatiua dignas duxerit, iam inde fatis luculenter apparet, ac colligi potest, LEONEM hypothecas publicas, hancce praerogatiuam eis imperiendo, tantum hypothecis priuatis praeponere, neutquam vero praerogatiuam inter ipsas publicas introducere, et ita pristinum inter semet ipsas ordinem prorsus immutatum manere voluisse (§. XXVI).

§. XVIII.

ARGUMENTVM II. ITIDEM A RATIONE LEGIS.

Quum porro ratio, od quam LEO Imper. hypothecas publicas priuatis praeponi sanxit, in euitanda fraude ac clandestinitate consistat, et non solum hypothecis priuatis, peraeque legalibus (§. XXII), ac iudicialibus fraus ferrari posset, sed etiam ab illis, aequae ac his fraus ac clandestinitas prorsus absit, ideoque in vtraque par ratio dispositionis locum habeat, iam inde hypothecis iudicialibus praerogatiua praे legalibus, ex ipfa legis mente merito est deneganda.

§. XX.

ARGVMENTVM III. A PVBELICO FAVORE, QVEM HYPOTHECAE LEGALES, VT EX CAVSSA PVBLCACAE VSTITITATIS INTRODVCTAE, HABENT.

Hypothecae porro legales, vt ex caussa publicae vtilitatis introductae publicum habent fauorem yy), qui iis praesertim inest, quibus lex talibus prospexit, qui sibi ipsi vel plane non, vel saltem non commode prospicere pos-

que magis publicae sunt, quam indiciales. Cfr. §. praece. n. ss) et aequae ac haec hypothecarum publicarum species, ac membra.

yy) Illustr. a PVFENDORF, tom. I. Obj. 21. §. 2. LAVTERBA^{CHIYS} C. Th. P., lib. 20. tit. 2. §. 7.

possunt, quales v. c. sunt, liberi, ratione bonorum a praefuneto parente relictorum, si superestes ad secunda vota transit, pupilli et minores, ratione tutorum et curatorum, fiscus ratione administratorum, vxores respectu dotois et paraphernorum etc. Hypothecae contra iudiciales seu registratae, odio licet careant, publico tamen, ut legales, fauore non gaudent. Etsi autem ipse ille favor hypothecis legalibus priuilegium et praerogatiuam praetrialibus tribuere non valet, tamen eo minus a contrario recte concludi poterit, has illis, ut fauorabilioribus, esse praeponendas. Potius vero inde consequitur, ut hypothecae legales, iudicialibus nisi praeponendae, attrahentes minime sint postponendae, ita ut paria utriusque esse iura statuendum sit *).

§. XXI.

ARGVMENTVM IV. A RATIONE CONSTITUTIONIS HY- POTHECARVM LEGALIVM.

Ipsa etiam ratio tam constitutionis hypothecarum tacitarum, quam ipsius L. XI. C. Qui P. in P. plane non permittit, ut hypothecarum iudicialium praerogatiuam quendam praetrialibus statuamus. Quae enim si statuenda esset, tunc hypothecae tacitae, quippe quae hypothecis satis forsan fraudulenter postea constitutis iudicialibus seu registratis prorsus subverti et ita inanes reddi possent, nullam fere securitatem ad-

C

eo-

- * Quid si hypotheca legalis cum iudicali ita concurrit, ut planè non constet, an haec vel illa prior sit, et binæ tempore prorsus sunt pares? Ab analogia iuris tunc non abhorre mili videtur, illam ut fauorabilem, huic in dubio preferri. Argum. L. 125. D. de R. I. A. ALEYSER, Sp. 61. m. 8. Quod si vero fauoris, quem habet legalis, hoc in casu ratio non erit habenda, tunc saltem eodem loco utraque collocanda mili videtur, ita, ut binæ pro rata concurrant; SAM. STRYCK in V. M. lib. 20. tit. 4. §. 2.

XVIII

eoque utilitatem praestarent; et ita non solum illa ratio, qua lex ex causa publicae utilitatis certis personis, quas publico fauore dignas duxit, hypotheca prospexit, sed etiam haec, qua LEO Imperator fraudes euitare ac coerce-re voluit, prorsus elusa, inanis atque inuersa exsisteret.

§. XXII.

ARGVMENTVM V. A FINE CONSTITUTIONIS HYPOTHE-
CARVM LEGALIVM.

Quodsi porro hypotheca iudicialis, legali tempore li-
cet priori praferenda esset, tunc plane intelligi non posset,
quare lex, quae tamen, si cui prospicit, plenissime et cum effe-
ctu prospicit zz) illis personis, quibus ex causa publicae
utilitatis consultum voluit, non melius tutiusque prospe-
xerit. Quaevis enim hoc pacto hypotheca legalis, quae
singulari praelationis priuilegio non gaudet, quacumque
ex post demum et satis forsitan in huius fraudem dolose
constituta iudiciali prorsus inanis reddi posset, et ita pa-
rum aut nihil securitatis, adeoque utilitatis praefaster, quod
tamen rationi eius constitutionis neutriquam responde-
ret. Cui accedit, quod ratio citatae *L. XI. C. Qui P. in P. so-
lami coercitionem ac refraerationem fraudis respiciat. Quod*
si enim, quod dissentientes asserunt (*conf. §. seq.*), statuendum
esset, hypothecae iudicali praerogatiuam praec legali in hac
lege a LEO datam esse, hoc non solum ipsi rationi huius
legis quam maxime repugnaret, sed etiam, ipsa hac lege,
fraudi, vt ita dicam, fores ac cardines demum aperire-
tur. Quilibet enim, cui ille, in cuius bonis alteri hypo-
theca ex lege competit, forsitan deberet, primae sibi curae
duceret, vt sibi ab illo in securitatem crediti et vel maxi-
mam in illius hypothecae praeiudicium hypotheca iudicia-
lis

zz) III. a TUFENDORF, O. I. V., tom. I. Obs. 211. §. 3.

XVIII

lis constituantur †); quo pacto non modo ille, cui lex hypotheca prospectum voluit, plane circumueniretur, verum etiam ipsa lex eluderetur, et ita hac LEONIS dispositione maior, quam quae illa euitari debuit, fraudi datur occasio.

§. XXIII.

ARGUMENTVM VI. AB EXCEPTIONE RATIONE HY-
POTHECARVM QVASI PUBLICARVM IN
DICTA LEGE FACTA.

Hicce argumentis a ratione ac mente Legis nostrae potissimum defluntis illud maximi momenti ac ponderis

C 2

ad-

†) Huic quidem opponi potest, quod in plerisque terris cautum sit, ut hypothecae, maxime rerum immobilium, vel coram iudice competente constitui, vel saltem ab eo confirmari debeant, et hic ita, explorando, an debitoris bona hypotheca quadam legali iam sint affecta, nec ne, impedire possit, quo minus prior in easu in fraudem hypothecae legalis adhuc judicialis constituantur; at responderi poterit 1), quod competentia iudicis ad confirmationem hypothecae tantum requiratur de iure particulari prouinciali. De iure enim communii confirmationis hypothecae, ut actus iurisdictionis voluntariae merae, competentiam iudicis minime desiderat, sed euique liberum est, a quo eam petere velit. L. ii. C. Qui P. in P., c. 2. X. de fide instrum. Esi autem competentia iudicis ad confirmationem hypothecae de iure communii requireretur, tamen 2) ad officium iudicis neutiquam pertinet, ut exploret atque cognoscat, an bona debitoris hypotheca legali iam forsan affecta sint, nec ne, sed confirmationi sufficit, si modo ex publico hypothecarum indice constet, fundum, cuius obligandi causa confirmationis petita est, nemini iam obligatum esse. Arg. L. g. § i. D. Quibus modis pigrus. Confirmationis enim hypothecae, ut actus iurisdictionis voluntariae merae, qui solius anterioris vel fidei publicae interponendae cauffa ad meram instantiam partium suscipitur, causae cognitionem neutiquam requirit.



XX

adhuc accedit, quod, quam LEO Imp. hypothecas publicas ne hypothecis quidem quasi publicis praeposuerit, sed iam hanc a dispositione illius Legis diserte exceperit, inde iam per conclusionem a minori ad maius consuevit, ut LEO hypothecis iudicialibus praerogatiuum pra legalibus, vt vere et ratione caussae efficientis maxime publicis (§. XVIII. et XXXI.), multo minus dederit, nec dare voluerit. Quia enim, vt nemo inficias ire poterit, ratio, ob quam LEO Imp. hypothecas quasi publicas in dicta Lege exceptit, ea sola fuerit, quod fraudis suspicionem iam in eas non cadere putauerit, ipsa haec exceptio non modo probat, illam praerogatiuum, hypothecis publicis tantum ratione priuataram, ob suspicionem fraudis, quae his inesse putabatur, concessam, verum etiam omnibus omnino publicis, tam ratione formae, quam ratione caussae efficientis talibus, quippe in utraque omnis prorsus fraudis ac clandestinitatis suspicione cessat atque extulat, pariter a LEONE datam esse, commononstrat.

§. XXIII.

ARGUMENTVM, QVO DISENTIENTES PRAEROGATIVAM HYPOTHECAE IUDICIALIS PRAE LEGA LI ASSERVNT.

Praerogatiuum hypothecae judicialis pree legali qui statuunt, eam quidem iam in ipsa nostra Lege fundaram esse contendunt; at plane non intelligo, qua ratione illa praerogatiua ex hac lege deriuari vel potius extorqueri possit. Statuunt nempe, LEONEM Imperatorem hypothecis publicis aaa) per consequentiam quamdam, pree legalibus quoque praerogatiuum dedisse bbb), et argumenten-

aaa) Scil. rat. formae talibus seu voluntariis.

bbb) Antea enim omnes hypothecae, tam publicae, quam priuatae, ex sola temporis praerogatiua aestimabantur.

mentum, ex quo hoc euincere sibi videntur, satis quidem argute, attamen nimis erronee ita formant, affrentes nempe, LEO IMPER. hypothecas publicas, quum priuatis scripturis in dicta lege eas praeposuerit, re vera ex ordine sustulisse, paulloque altius leuasse, legalem autem eodem, quo antea fuerit ordine, constitutam mansisse ccc). Hinc concludunt, non tantum hypothecam priuatam conuentionalem, sed et legalem eidem aequalem, publica, ut maiori, superari ddd).

§. XXV.

REFUTATIO HVIVS ARGVMENTI.

At si modo ad rationem illius Legis respicimus, hocce argumentum iam inde refutari poterit, quod LEO IMPER. hypothecas publicas, priuatis, quibus fide publica destitutis, fraudis suspicionem inesse putabat, praeponendo, illarum relationem tantum ratione priuatarum, neutquam vero inter semet ipsas, indeque nec ratione legalium, quippe quae nec priuatae, nec fraudis suspectae erant, mutare voluerit. Ex eo ipso enim, quod LEO IMPER. hypothecas publicas priuatis praeposuerit, et legales, aeque ac iudiciales publicae sint (§ XVI. n. ss) consequitur, ut LEO etiam legales per consequentiam priuatis praeposuerit, id quod non solum ratio legalis, sed etiam, quod LEO IMPER. hypothecas legales, ut species publicarum, et aeque ac iudiciales, publico instrumento, ipsa etenim legis auctoritate nixas, in dicta lege diserte non exceperit, firmissime concludere iubet. (§ XVIII et XXVI). Quodsi enim illius legis dispositio ad hypothecas legales, ratione caussae efficientis magis publicas, quam iudiciales, pertinere non debuisset, diserte ab ea ut

C 3

essent

ccc) Illustr. a RYFENDORF, e. I. §. 4.

ddd) Illustr. a RYFENDORF cod.

XXII

essent exceptae, omnino opus fuisset, et hoc eo magis, quum omne illud, quod praedicatur de genere, etiam valeat de specie. Quum itaque hypothecae legales, publicis ut species earum iam comprehendenderentur, plane non opus erat, ut LEO Imper. hypothecarum legalium in hac constitutione diserte mentionem ficeret, et neutiquam ex hac omissa legalium mentione, praesertim quum unius positio non sit alterius exclusio, sequitur, ut LEO Imper. a praerogativa illa, quam publicis praे priuatis in dicta lege tribuit, eas exemerit, sed eo ipso, quod ab hac praerogativa non sint exceptae, sine dubio potius sequitur, ut LEO iis etiam hancce praerogatiuam dare voluerit, et re vera dederit. Quemadmodum quoque nemo dubitat, quin LEO Imper. hypothecas publicas omnibus omnino priuatis, licet specierum, quas comprehendunt, non diserte meminerit ^{eee)}, generaliter, praeposuerit, ita etiam omnes omnino publicas cum omnibus earum speciebus, adeoque et legales, priuatis praeposuit.

§. XXVI.

VLTERIOR REFUTATIO ILLIUS ARGUMENTI.

Quodsi etiam contra rationem dictae Legis concederelimus, hypothecas legales non simul cum publicis seu iudicibus priuatis esse praepositas, ut ill. a P V E N D O R F ff) visum est, tamen inde nequaquam consequeretur publicas eo ipso etiam legalibus esse praepositas, quippe a diverso ad diuersum non valet consequentia, et ratio, ob quam LEO Imper. hypothecas publicas priuatis praeposuit, in legalibus plane exsulat. Cui quum accedat, quod LEO Imper. hypothecas publicas ex supra adducta

cta

eee) An v. c. conventionales, an testamentariae sunt,

ff) Tom. I. Obs. 211. §. 4.

Et ratione (§. XVIII.) solis tentum priuatis praeposuerit, neutquam vero legalibus, quippe quae nec privatae nec fraudis suspectae sunt, verissime tunc statuendum esset, hypothecas tam publicas, quam legales, priorem erga se inuicem prorsus retinuisse relationem, et utramque codem, quo antea fuit, ordine, constitutam mansisse, adeoque nec publicam legali, nec legalem publicae esse praeponendam, sed utramque, ut antea, ex sola temporis praerogatiua esse aestimandam. Quibus quidem item opponi poterit, quod citata L. XI. de hypothecis tantum de publicis ratione formae talibus, seu voluntariis disponat, non vero de hypothecis publicis ratione caussae efficien-
tis talibus, seu necessariis, quod et quodammodo verum esse videtur per L. X. D. Qui P. in P., quippe in qua de pignore judiciali, a caussa efficiente tali, separatim dispositum est; at 1) haec lex solummodo de hypothecis judicialibus necessariis, de hypothecis vero legalibus ab illis valde diuersis plane nihil disponit; et si quoque concedere velimus, citatam L. XI. exclusis prorsus legalibus, de solis judicialibus voluntariis disponere, tamen 2) hoc ipsum iam esset argu-
mentum, LEONEM de hypothecis legalibus nihil prorsus hac lege disposuisse, neque positivae, neque negativae, adeoque et illam hypothecarum praे legalibus praerogatiuam minime in hac Lege esse fundatam. Intuitu relationis hypothecarum judicialium et legalium inter se, perinde itaque esset, an illam praerogatiuam folis judicialibus, an vero utri-
que, tam judiciali, quam legali, datam esse affirmaremus, quippe utroque casu par utriusque erga se inuicem esset relatio
(§. XXV.) Si enim legem illam de hypothecis legalibus plane non disponere contenditur, tunc etiam simul ex eadem ratione asseri nequit, hypothecas judiciales iisdem in citata Lege esse praepositas, et hoc eo minus, quum ex ipsa hac lege, eiusque occasione, quam apertissime pateat, LEONEM 1) omnibus omnino hypothecis publicis, et quidem 2) tan-

tum

XXIII

tum ratione priuatarum ggg), sive, vt ipsis verbis legis
vtar, quas quis ex priuatis instrumentis sibi vindicare con-
tendit, praerogatiuam tribuere voluisse, neutiquam vero,
vt dissentientes volunt, solis hypothecis iudicialibus, nec
ita, vt his, p[ro]ae reliquis publicis praerogatiuam quam-
dam tribuere voluisse, apparet.

§. XXVII.

REFUTATIO EORVM, QVI HYPOTHECAE IUDICIALE
PRAEROGATIVAM PRAE LEGALI IN MODO,
QVO PUBLICE INNOTESCIT, PONUNT.

Non etiam desunt, qui hypothecam publicam a modo, quo publice innotescit, definiendam, et in eo considerare putant, vt cuius ex populo in prapatufo sit. Quod quum fieri vix aliter posse statuant, quam vt vel ex publico programmata innotescat, vel gesta existent, quae vnicuique pareant, veluti si ic codicem vel librum publicum hypothecae constitutae referantur, vel in tabulariis publicis ordine dispositae asseruentur, hypothecarum inde iudicialium p[ro]ae legalibus praerogatiuam statuere sibi videntur hhh). Et si autem hypothecam publicam ita cum his definire velimus iii), tamen hypothecae iudicialis praerogatiuam p[ro]ae legali, minime inde consequitur. Quid enim tunc vnicuique magis innotescere et cuius ex populo magis in prapatufo esse potest, quam ipsa hypotheca legalis, quippe quam ipsa lex constituit? Quod si enim lex, quod necessario requiritur kkk), in eum

hhh) Conf. ill. a P V F E N D O R P *Animadu iur.*, tom. I. animadu. 98. §. 1.

iii) Proprie enim et secundum definitionem legitimam hypotheca publica ea vocanda, quae publica auctoritate constituta est.

kkk) L g. C. de Legibus.

eum statum redacta est, ut ab omnibus cognosci possit, tunc nihil magis patere et innotescere potest, quam quod ipsa lex constituit, adeoque hypotheca legalis. Ipsa igitur juris Romani, peregrino licet idiomate conscripti, ignorantia nocet ^{III).}

§. XXVIII.

REFUTATIO OBJECTIONIS, QVOD CITATA L. XI. C.
QVI P. IN P. CONSTITUTIONEM TANTVM SPECIA-
LEM CONTINEAT, IDEOQUE INTERPRETATIO-
NEM EXTENSIVAM NON ADMITTAT.

Porro quoque adhuc obici poterit et a quibusdam vere obiicitur ^{mmm),} citatam L. XI., quum constitutionem publicarum facta est a lege exceptio, adeoque ius tantum singulare contineat, ultra limites verborum non esse producendam, adeoque interpretationem extensiuam neutrius quam admittere. Quod vero si aliquandiu concedamus, tamen ex eo ipso simul consequens esset, ut illa Lex, si non positivae ad hypothecas legales, adeoque in earum fauorem extendenda sit, tunc etiam nec negative, seu in odium earum extendi debeat (^{§. XXIII.}), quod tamen fieret, si ita interpretandam existimaremus, vt exclusis prorsus hypothecis legalibus, de solis judicialibus intellegendam esse statueremus. At, quum interpretatio extensiva ea sit, qua lex ad casus sub verbis legis non comprehensos ideo producitur, quoniam ratio legis ad eosdem quadrat, hypothecae vero legales, instrumento maxime publice confecto, ipsa videlicet lege nixa, absque omni dubio maxime publicae (^{§. XVI. n. ss. et XXXI.}), non modo sub ipsis iam verbis legis comprehendantur,

D

verum

^{III)} L. 9. §. 3. D. de iuris et facti ignorantia.

^{mmm)} Cfr. BERGERI Oecon. Iur., lib. 2. tit. 5. §. 8. n. 5.

XXVI

verum etiam ipsa ratio legis **ex** ipsa legislatoris mente quam maxime ad easdem quadret, hinc interpretatione extensiua, et ut lex illa ultra limites verborum producatur, ne quidem opus est, sed tantum plenissime, ut et ipsae constitutiones speciales, interpretanda est nnn). Quum enim citata L. XI. hypothecis publicis exceptionem a regula tribuit, hinc quidem dubitari non potest, quin constitutionem specialem, adeoque ius singulare contineat; at, quum haec constitutio specialis non simpliciter ooo), sed tantum secundum quid talis ppp) sit, et toti generi hypothecarum publicarum exceptionem a regula tribuat, hinc etiam ex ipsis eius verbis, ratione hypothecarum publicarum generalibus de toto hoc genere, adeoque et de legalibus, absque illa eius extensio ne intelligenda as interpretanda est qqq). Verum enim vero ita est rationandum: **L**EO Imper. hypothecis, quae instrumentis publice confectis nituntur, praerogatiuam prae priuatis in dicta Lege tribuit; Hypothecae legales, instrumento maxime publice confecto, ipsa videlicet lega, nituntur; **E**. **L**EO Imper. etiam his praerogatiuam prae priuatis in dicta lege tribuit. Quae quum ita sint, plane non opus est, ut huius constitutionis dispositio per interpretationem demum extensiua ad ea, quae iam ut species sub illo genere, de quo lex disponit, adeoque sub ipsis iam verbis legis, nisi directe, atramen per consequiam comprehenduntur, producatur.

§. XXVIII.

nnn) *L. i. f. 2. D. Ad municipal.*

ooo) *i. e. ratione certi cuiusdam individui.*

ppp) *i. e. ratione certi generis hypothecarum.*

qqq) Imo priuilegia, licet stricte interpretanda sint, nihil minus tamen omnia comprehendunt, quae sub generali locutione et proprietate verborum continentur. **DECIVS**, *Consil. u. 2. 6.*

§. XXVIII.

HYPOTHECAE LEGALES NISI SVB IPSIS IAM VERBIS
 CITATAE L. XI. COMPREHENSÆ, ATTAMEN
 RATIO EIVSQUE DISPOSITIO AD EAS
 PERTINET.

Sit tamen, ut hypothecae legales sub verbis illius legis non iam re vera sint comprehensæ, licet ipsa lex, qua proxime et immediate nituntur, primario et magis instrumentum publice confectum appellanda sit, quam registratio iudicis, seu ministri legis; attamen tota illa lex eiusque ratio ita comparata est, ut cuique rite eam insipienti dubium esse non possit, quin eius ratio, adeoque eius dispositio quam maxime ad eas pertineat, easque comprehendat (§. XVIII. XVIII. et XXI.) Quod si enim, ut in cuiuslibet legis, eiusque dispositionis interpretatione ante omnia fieri debet (rrr), mentem atque rationem, ut animam eius (sss) rite ingrediamur inspiciamusque, haec vero, quum solam evitatem fraudis respiciat (§. XVIII. et XVIII.), non modo non minor, sed certo respectu maior sit in hypothecis legalibus (§. XX.), quam in iudicitalibus, ipsa iam paritas rationis praerogatiuam quamdam judicialium praे legalibus non modo proorsus negari, sed contra statui iubet, praerogatiuam illam, quam leo hypothecis publicis praे priuatis tribuit, non solis iudicitalibus priuatiue datam, sed omnibus omnino publicis, adeoque et legalibus esse communem. Hoc ipso vero illam legem minime ultra limites verborum, quibus ipsis hypothecae legales iam comprehendendi haud sine ratione statuerunt,

D 2 dum,

rrr) L. 19. §. 1. D. Ad SCt. Trebell.

sss) Est enim in lege ratio, anima spiritus, mens, atque medulla, imo ipsa lex et illius sententia, iuxta illud BALDI dictum, cuius meminit ROLANDVS & VALLE, Consil. 14. n.
 24. Vol. III,

XXVIII

dum, producimus, sed tantum plenissime, vt et ipsae constitutiones speciales interpretandae sunt ttt), interpretamur.

§. XXX.

L. XI. C. QVI P. IN PIGN. INTERPRETATIONEM EXTENSIVAM ADMITTIT.

Esto denique, vt ipsa legis verba ita sint comparata, vt ipsius interpretationem extensiuam non admittere videantur, attamen nec verborum, nec, an illa lex ius quodam singulare contineat, nec ne, ratio est habenda, sed sola mens ac ratio legis inspicienda venit. Virtus enim legis consistit in ratione et mente uu), tamquam anima et medulla ipsius legis, et verba tantum dicuntur eius superficies. Quemadmodum vero anima dominatur corpori, ita ipsa ratio legis, vel canonis dominatur verbis vvv). Hinc nec ipsa priuilegii verba contra mentem concedentis sunt restringenda aut limitanda www); indeque a ratione vitam accipere dicitur lex vel statutum, sicut corpus per animam xxx). Quemadmodum itaque cuiuscunq; legis dispositio secundum illius rationem vel restringenda, vel extendenda est yyy); ita etiam dispositio *citatæ L. XI* non secun-

ttt) Citata L. 1. §. 2 D. *Ad municipal.*

uuu) Ratio legis est omne illud, ex quo intelligitur, legem ita esse constitutam. Ex quo quum sicut mens legis colligatur, L. 55. D. *Solutio matrim.* L. 6. §. 1. D. de V. S., ratio et mens legis unum idemque fere denotant.

vvv) L. 47. D. *Solutio matrim.* NIC. EVERHARD, *Topica iur. loc. a rat. leg.*, *Striſt.* 28. n. 2

www) HIER. TREVTLER, *in Conf. et Resp.*, Conf. 59. n. 72. et Conf. 116. n. 43.

xxx) ROLANDVS a Valle, *Conf. 62. n. 24. vol. III.*

yyy) L. 55. D. *Solut. matrimon.* HARTM. PISTORIUS *Quæſt. iur.*, *Quæſt.*

XXIX

secundum eius verba, sed hisce plane posthabitis zzz), secundum solam eius rationem ac mentem interpretanda, haec vero, quam solam fraudis evitatem respiciat (§. XVIII. et XVIII.), et non modo non minor, sed certo respectu maior sit in hypothecis legalibus, quam in judicialibus (§. XXVIII.), minime restringenda, sed vel maxime ex ipsa legis mente ad hypothecas legales extendenda est; et hoc eo magis statuendum puto, quum ratio legis apertissime generalior ac amplior ipsis eius verbis existat, adeoque latius, quam haec pateant, quo causa interpretatio extensiu semper locum habet. Quousque enim patet ratio ac sensus legis, eo usque etiam patet eius dispositio, id quod in ipsis constitutionibus specialibus omnino locum habet.

§. XXXI.

REFUTATIO EORVM, QUI HYPOTHECAE IUDICIALE
TRAFFERENTIAM PRAE LEGALI, IN VIRTUTE
PUBLICAE AVCTORITATIS PONUNT.

Hypothecae iudiciale seu registratae praerogativa prae legali, qui asserunt, eam denique in virtute publicae auctoritatis ponere sibi videntur. At plane non video, et intellectu vere difficile est, quomodo hypothecae iudiciale, quae coram iudice, ministro legis ac Principis, constituitur, plus roboris atque auctoritatis tribui possit, quam legali, quae ab ipso Legislatore, principe

D 3

Quæst. 48 n. 17. Ratio nimur moderatur dispositiones, si-
cut gubernacula naues, et fraena equos. CAMILL. BOREL-
LVS, Tract. de editis magistrat, Lib 2. cap. 3 n. 22.

zzz) Hinc verba legis vel alterius dispositionis inproprianda sunt,
ut mens et ratio obseruetur, et verba statuti licet offendere,
ut mens seruetur. BALDVS in L. 29. D. de legibus, et L. 1. D.

Si certum petat.

XXX

pe atque auctore legis, et ita quidem constituta est, ut debitoris voluntate ne quidem egeat ^{aaaa)}. Quo etiam explorarius expeditiusque est, legem in hypotheca tacita tantundem operari, quantum in iudiciali auctoritatem magistratus ^{bbbb)}, et hypothecam legalem omnes illos aequaliter parere effectus, quos parit expressa ^{cccc)}, eo minus praerogativa illa hypothecae iudicialis recte inde asserti poterit.

§. XXXII.

PRAEROGATIVA HYPOTHECARVM TACITARVM ET
IUDICIALIVM, UT AEQUALIS VIRTUTIS, EX
SOLA TEMPORIS PRIORITATE AE-
STIMANDA EST.

Ex haec tenus igitur propositis argumentis adductis que rationibus nihil verius, nihilque tam analogiae iuris, quam ipsi analogiae et rationi L. XI. C. Qui P. in P. conuenientius assertere mihi videor, quam quod hypothecis iudicialibus seu registratis nulla prorsus a LEONE Imper. in dicta Lege data sit praerogativa prae legalibus seu tacitis, et utraque, ut aequalis virtutis et priuatis pariter a LEONE in dicta Lege praeposita ex sola temporis prioritate fit aestimanda, id quod et cl. LEYSERO ^{dddd)} iure meritoque visum est.

§. XXXIII.

V S V S F O R I.

Vsum fori denique quod attinet, omnia harum terrarum

^{aaaa)} Conf. LEYSERI Sp. 226. m. 1.

^{bbbb)} BERGER, Occon. iur., L. 2. tit. 5. §. 8. n. 5. inf.

^{cccc)} HARPFRECHTIVS, dicta Lege.

^{dddd)} In cit. Sp. 226. m. 1.

XXXI

rarum Iudicia, tam superiora, quam inferiora, supremo,
quod Cellis est, prouocationum Tribunali excepto (§. XVII),
secundum sententiam a me defensam, et ut mihi videtur,
iure legeque pronunciant. Reperiuntur insuper Statuta
in Germania non pauca, quibus, ni creditor speciali pri-
uilegio gaudet, inter iudiciale et tacitam hypo-
thecam valet regula: prior tempore,
prior iure eeee).

eeee) Forum meminit 10. AVG. HELLEFELDIUS, Diff. de Praero-
gativa Hypothecae publ. tacitae aequae ac expressae competente,
Sect. III. §. 45.



10
Gott ist mein Gott und mein Heil ist er
der Helfer der Christen und der Menschen
der Erbauer der Stadt und der Kirche
der Erbauer der Stadt und der Kirche

11
Gott ist mein Gott und mein Heil ist er
der Helfer der Christen und der Menschen
der Erbauer der Stadt und der Kirche

Helmstedt, Diss., 1778-85
X 229 8786

ULB Halle
005 356 695

3





DISSE^TATI^O IN AVGVRALIS
DE
HYPOTHECIS TACITIS
IVDICIALIBVS SEV REGISTRATIS
HAVD POSTPONENDIS

QVAM
AVCTORITATE
ILLVSTRIS ORDINIS
IVRECONSVLTORVM HELMSTADIENSIVM

PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE
CAPESSENDIS HONORIBVS
AD DIEM X AVGVSTI CICIOCLXXXV
IN IVLEO MAIORI
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS
PVBLINE DEFENDET

ERNESTVS LUDOVICVS SOELDNER
OSTERODA-GRVBENHAGENSIS
CAVSSARVM PATRONVS HANNOVERANVS.

HELMSTADII
LITERIS VIDVAE B. PAVL. DIET. SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

